CONSTITUTIONES
FRIDERICI SECUNDI IMPER.
INCIPIUNT.

TIT. I. vel, TIT. XVII.

De statutis & consuetudinibus contra libertatem ecclesiæ editis, & immunitate locorum religiosorum ubique morantium & fori privilegio, & Gazaris, & Patarenis, & aliis hæreticis, eorumque successoribus, & navigiis peregrinis & advenis quocumque locorum hospitantibus, eorumque successoribus, & de agricolarum securitatibus.

FRIDERICUS [1] Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Marchionibus, Comitibus, cunctisque populis, quos clementiæ nostræ regit imperium, Salutem & gratiam.

IN die qua de manu sacratissimi patris nostri summi pontificis recepimus imperii diadema, curavimus ad Dei & ecclesiæ suæ honorem, edere quasdam leges, quas in præsenti pagina jussimus annotari, per totum nostrum imperium publicandas. Per imperialia vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus eas quisque literas in suo districtu irrefragabiliter & inconcusse servet.

Et sunt hæ leges [2].

Ad decus & honorem imperii, & laudem Romani principis nihil omnino magis videtur accedere, quam ut expurgatis quibusdam erroribus, & iniquis quorundam statutis penitus destitutis, de cætero ecclesia Dei plena quiete vigeat, & secura gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorundam & injustorum iniquitas abundavit, ut non dubitent contra apostolicam disciplinam, & sacros canones statuta sua confingere, contra ecclesiasticas personas, & ecclesiæ libertatem. Cum ergo dispositione divina favente nihil velit ecclesia (quæ nihil debet præter bonum appetere) quod nobis eodem concursu & eadem non placeat voluntate.

§. 1. NOS [3] Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, hac edictali lege irritamus, & irrita nuntiamus omnia statuta [4] & consuetudines, quæ civitates, vel loca, potestates, consules, vel quæcunque aliæ personæ contra [5] libertatem ecclesiæ, vel ecclesiasticas personas edere, vel servare adversus canonicas vel Imperiales sanctiones præsumpserint: & ea de capitularibus [6] suis mandamus intra duos menses post hujus publicationem edicti penitus aboleri: & [7] si de cetero similia attentaverint, ipso jure decernimus esse nulla, & eos sua jurisdictione privatos, superiori protinus applicanda: necnon locum ubi deinceps talia præsumpta fuerint, banno mille marcharum præcipimus subjacere: potestates [8] vero, consules, rectores, statutarii, & scriptores dictorum statutorum, necnon & consiliarii locorum, ipsorum, qui secundum statuta vel consuetudines memoratas judicaverint, sint ex tunc ipso jure infames: quorum sententias & actus alios illegitimos præcipimus aliquatenus non tenere. Quod si per annum hujus nostræ constitutionis inventi fuerint contemptores: bona [9] eorum per totum nostrum imperium mandamus impune ab omnibus occupari: salvis nihilominus aliis pœnis contra tales in generali concilio promulgatis.

§. 2. Item [10] nulla [11] potestas, vel persona publica, vel privata collectas sive exactiones [12] angarias, vel parangarias ecclesiis, vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis imponere, aut invadere bona ecclesiastica præsumant: quod si fecerint, & requisiti ab [13] ecclesia, vel ab imperio, emendare contempserint, triplum [14] refundant: & nihilominus banno imperiali subjaceant: quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur [15].

§. 3. Item [16] quæcunque communitas, vel persona per annum in excommunicatione [17] facta propter libertatem ecclesiæ persteterit, ipso jure imperiali banno [18] subjaceat: a quo nullatenus extrahatur, nisi [19] prius ab ecclesia absolutus fuerit.

§. 4. Item [20] statuimus, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili trahere ad [21] judicium seculare præsumat, contra constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor a jure suo cadat, & judicatum non teneat: & judex sit extunc judicandi potestate privatus. Statuimus enim, ut si quis clericis vel personis ecclesiasticis justitiam [22] denegare præsumpserit tertio requisitus, suam jurisdictionem amittat.

§. 5. Gazaros [23], Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos [24] & omnes hæreticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua [25] damnamus infamia, diffidamus atque bannimus [26], præcipientes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur: ita quod filii ad successiones eorum pervenire non possint: cum longe gravius sit æternam quam temporalem offendere majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione [27] notabiles, nisi ad mandatum ecclesiæ, juxta considerationem suspicionis, ac qualitatem personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur: ita quod si sic per annum manserint, extunc eos sicut hæreticos condemnamus.

§. 6. Statuimus [28] etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates, consules, seu rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei præstent publice juramentum [29], quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod a modo, quandocunque fuerit quis in potestatem, sive perpetuam, vel temporalem, assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare, alioqui nec [30] pro potestatibus, nec pro consulibus habeantur: & eorum sententias irritas extunc decernimus & inanes.

§. 7. Si [31] vero dominus temporalis requisitus & admonitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica pravitate: post annum a tempore admonitionis elapsum, terram illius ipsis exponimus catholicis occupandam: qui eam exterminatis hæreticis, absque ulla contradictione possideant, & in fidei pietate conservent: salvo jure domini principalis: dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod aliud impedimentum opponat, eadem nihilominus lege servata contra eos qui non habent dominos principales.

§. 8. Credentes [32] præterea, receptatores [33], defensores, & fautores hæreticorum bannimus, firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit ab ecclesia excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum, extunc ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendum aliquos ad hujusmodi, neque ad testimonium admittatur, sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam habeat firmitatem: nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per eum confecta, nullius penitus sint momenti [34].

§. 9. Navigia [35] quocunque locorum pervenerint, si quo casu contingenti rupta fuerint, vel aliter ad terram pervenerint, tam navigia ipsa, quam navigantium bona, illis integra [36] reserventur ad quos spectabant, antequam navigium illud periculum incurrisset, sublata omnium locorum penitus consuetudine, quæ huic adversatur sanctioni: nisi talia sint navigia, quæ piraticam [37] exerceant pravitatem, aut sint nobis vel Christiano nomini inimica. Transgressores vero hujus nostræ constitutionis, bonorum suorum publicatione multentur: & si res exegerit, eorum audacia juxta mandatum nostrum modis aliis compescatur.

§. 10. Omnes [38] peregrini [39] & advenæ libere hospitentur [40] ubi voluerint: & hospitati, si testari voluerint, de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem: quorum ordinatio inconcussa servetur. Si qui vero intestati [41] decesserint, ad hospitem nihil perveniat: sed bona ipsorum per manus episcopi loci tradantur heredibus, si heri potest: vel in pias causas erogentur. Hospes [42] vero si aliquid de bonis talium contra hanc constitutionem nostram habuerit, triplum episcopo restituat, cui visum fuerit assignandum: non [43] obstante statuto aliquo, seu consuetudine seu privilegiis, quæ hactenus contrarium inducebant. Si [44] qui autem contra præsumserint, eis de rebus suis testandi interdicimus facultatem: ut in eo puniantur, in quo deliquerint: alias prout culpæ qualitas exegerit, puniendi [45].

§. 11. Agricultores [46], & circa rusticitatem occupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi [47] sint quacumque parte terrarum: ita ut nullus inveniatur tam audax, qui [48] personas, vel boves, agrorum instrumenta, aut si

1 Anno 1212. electus præfuit annis 35. *Sabellic.* 2 Hæc constitutio est Friderici II. lata Anno 1220. approbata ab Honorio III. confirmata a Bonifacio VIII. & in quantum Hæreticorum coërcitio eum tangit, canonizata in *cap. Inquisitionis. De hæreticis in* 6. Anf. 3 *Hinc sumpta est Auth.* 12. *Cassa C. de sacros. eccles.* 4 Statuta & consuetudines adversus Ecclesiam & Ecclesiasticas personas, non valent. adde *c. noverint. de sent. excomm.* 5 Statuta adversus libertatem ecclesiæ ea dicuntur, quæ Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis id auferunt quod eis concessum est jure communi. *DD. in c. Ecclesia. de constit.* 6 Capitularia, acta publica in sua capita, suosque titulos distributa. 7 Statutis adversus Ecclesiam & Ecclesiasticas personas utentes puniuntur. 8 Adde *c. gravem de sent. excomm.* 9 Feudis privantur vasalli adversus libertatem Ecclesiæ aliquid statuentes. 10 Ut in Ecclesiam ejusve personas nullus magistratus potestatem exactionis indicendæ habeat. 11 *Hinc sumpta est Authent.* 1. *item nulla, C. de episcop. & cler.* 12 Ecclesia tamen a quibusdam exactionibus non est immunis, *l. ad instructiones* 7. *C. de sacros. eccles.* 13 Forum ecclesiasticum fortiuntur, qui bona ecclesiæ invadunt 14 Pœnam tripli patiuntur, qui extorquent illicitas exactiones ab ecclesiis, & ecclesiasticis personis. 15 Bannum causa cognita remitti potest. unde notant. Bannum, esse interlocutoriam sententiam: nam definitiva remitti non potest, *l. quod justis. ff. de re judic.* 16 *Hinc sumpta est Authent.* 13. *Item quæcumque. C. de episc. & cler.* 17 Excommunicari etiam collegia possunt. 18 Banniri etiam possunt universitates & communitates. 19 Bannum ante executionem eius remitti potest, *ut hic*, postea non, *l.* 1. *C. de requir. reis.* 20 *Hinc sumpta est Authent. statuimus. C. de Episcop. & Cleric.* 21 Ut ad forum seculare ecclesiastici non trahantur: & ut qui secus fecerit, jure fori privetur. 22 Jus reddere aut in eo reddendo negligens, jure fori privatur. 23 *Hinc sumpta est Authent. Gazaros. C. de hæret. & Manich.* 24 V. hunc locum plenioremapud Petrum de Vineis. 1. *Epistol.* 27. ubi plures recenset hæreticos. Adde & eundem *Epistola* 26. ubi de Patarenis. 25 Ut hæretici sint infames & banniti: ut eorum bona publicentur, Item ut nec filii eorum succedant. 26 Bannitos posse impune offendi, hinc colligunt. 27 Ut suspectus hæreseos si mandatu ecclesiæ intra annum se non purgaverit, ut hæreticus damnetur. adde *c. urgentes de hæreticis. c. cum contumacia de hæreticis in* 6. 28 *Hinc sumpta est Authent.* 19. *statuimus. C. de episc. aud.* 29 Ut judices omnes jurent se hæreticos ex territorio suo ejecturos. 30 Judicis negligentia & contumacia in eliminandis, seu extra jurisdictionem suam arcendis hæreticis, bona a quoquo posse occupari hic notant interpretes: ex lege, ut ea bona occupaverit ea a superiore ipsius hæretici domino recognoscar. 31 *Hinc sumpta est Authent. si dominus C. de heret. & Manich.* 32 *Hinc sumpta est Auth. credentes C. eod. tit.* 33 Hæreticum recipiens simili pœna cum ipso hæretico puniendus, *ut hic: & c. sicut c. adversus de hæreticis.* 34 Adjicimus insuper, quod hæreticus per hæreticum convinci possit, & quod domus Patarenorum, receptatorum, defensorum & fautorum sive ubi docuerint, sive ubi aliis manus imposuerint, destruantur, nullo tempore reparandæ. Petrus de Vineis 1. *epist.* 27. 35 *Hinc sumpta est Auth. navigia C. de fur.* 36 Navigia casu in portum revecta, vectigal non præstare hic notant. facit *l. Cas. ff. de publican.* 37 Piratæ ut hostes fidei & Imperatoris, a quovis spoliari possunt: ut qui sint ipso jure diffidati, hoc est, banniti. 38 *Hinc sumpta est Authent. omnes C. commun. de success.* 39 Peregrini & advenæ libere hospitari & testamentum facere apud nos possunt. Quin, eorum intestatorum bona apud nos industria aut quovis alio modo quæsita, per loci magistratum, vel episcopum, heredibus ab intestato servanda sunt: qui si nulli sint, in pias causas eroganda. 40 Peregrinis hospitium debemus, *ut l.* 1. §. 1. *ff. naufr. l.* 1. §. *servi ff. furti adversus naut.* 41 Peregrinorum vacantia bona non sunt fisci, sed Christi: hoc est, ubi nulli sunt peregrino heredes ab intestato vel testamento, ea bona in pias causas dispensanda. Quod contra jus civile est. *l.* 1. *C. de bonis vacantibus.* 42 Peregrini mortui apud nos bona, qui sine ejus voluntate contrectat, neque ea episcopo loci indicat, triplum præstat. 43 Clausula hæc generali, *Non obstante*, statuta tolluntur, ut necesse non sit integrum tenorem statuti adjicere. 44 Statutum invalidum non excusat a delicto. 45 Peregrinum testari qui prohibet, fit ipse intestabilis. Imo puniturcriminaliter pro criminis qualitate. 46 *Hinc sumpta est Auth. agricultores. C. quæ res pign. obleg.* 47 Agricolis securitas debetur. 48 Agricolarum personæ, animalia & instrumenta rustica, debiti nomine manu injecta capi non possunt: propter quid

quid aliud sit quod ad operam rusticalem pertinet, invadere, capere, aut violenter auferre præsumat. Si quis autem hujusmodi statutum ausu temerario violare præsumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamiam ipso jure incurrat, imperiali animadversione nihilominus puniendus.

§. 12. Nos vero Honorius [1] episcopus, servus servorum Dei, has leges a Friderico Romanorum Imperatore filio nostro charissimo pro utilitate omnium Christianorum editas laudamus, approbamus & confirmamus, tanquam in æternum valituras, & si quis ausu temerario, inimico humani generis suadente, quocunque modo has infringere tentaverit: indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum.

na in secum [illegible]tem, quadrupli & infamiæ constituta. 1 Honorius hic tertius Fridericum Secundum coronavit. Kranz. *c.* 38. Idem Petrum Altisiodorensem cum Iola ejus uxore Græcorum Imperatorem coronavit. Blonsius 7. *dec.* 2. in Apulia bellum gessit cum Cæsare. *Sabellic.* Civile jus in Academia Parisiensi legi vetuit. *Sabellicus.*

EXTRAVAGANTES,
QUAS
NONNULLI XI. COLLATIONEM
APPELLANT.

TIT. I. vel, TIT. XIX.

QUOMODO IN LÆSÆ MAJESTATIS CRIMINE PROCEDATUR.

HENRICUS SEPTIMUS [1] divina favente gratia Romanorum Imperator, semper Augustus.

AD reprimendum multorum facinora qui ruptis totius debitæ fidelitatis habenis, adversus Romanum imperium, in cujus tranquillitate totius orbis regularitas requiescit, hostili animo armati conantur nedum humana, verum etiam divina præcepta, quibus jubetur, quod omnis anima Romanorum principi sit subjecta, sceleratissimis facinoribus & assiduis rebellionibus demoliri: ne ex eorum absentia, in detestando læsæ majestatis crimine processus & sententia retardentur, & tanti sceleris nefanda temeritas remaneat impunita: Hac edictali, Deo propitio, perpetuo valitura lege sancimus, ut in quocunque læsæ majestatis crimine & maxime, ubi contra Romanorum imperatores vel reges aliquid quod dictum tangat asseratur commissum, possit procedi per accusationem, inquisitionem [2], seu denuntiationem, summarie & de plano, sine strepitu, & figura judicii, prout illi, qui jurisdictioni præest, videtur expedire. Ad hoc, si qua communitas, corpus, vel collegium, vel alia quævis persona, cujuscunque status, dignitatis, vel conditionis existat, super dicto crimine per nuncium, vel per literas, seu etiam per edictum publice propositum citata, vel citatum neglexerit in termino personaliter vel legitimo comparere: contra ipsam vel ipsum perinde ac si præsentialiter omnibus interesset, vel lis foret legitime contestata, tam ad receptionem testium, & eorum publicationem, & sequentia, quam ad definitivam sententiam, & ejus executionem procedatur: legibus & consuetudinibus non obstantibus quibuscunque. Hanc autem generalem legem nostram extendi jubemus ad præterita [3], præsentia & futura: quam legem ex nunc absque alterius temporis exspectatione transcursus suum integrum vigorem decernimus obtinere.

TIT. II. vel, XX.

QUI SINT REBELLES.

Idem ad perpetuam rei memoriam.

QUoniam nuper est auditum nostrum deductum, quod inter nonnullos fideles & subditos nostros provinciæ Lombardiæ, aliorumque locorum Italiæ disceptationes & dubia sæpius oriuntur, an infidelis & rebellis imperii quisquam reputari debeat, nisi prius per nostræ majestatis sententiam condemnatus appareat: & nos attendentes quod acta prava malorum potius quam verba sententiarum ipsos faciunt pœna condignos, & eo ipso quod quis peccat, correctionem meretur: & quanto plus differtur punitio, tanto amplius culpa crescit, & gentibus perniciosius in exemplum transit. Tenore præsentium declaramus, decernimus, & pronuntiamus, quod illi [4] omnes & singuli sunt rebelles, & infideles nostri imperii, qui quomodocunque publice vel occulte [5] contra nostrum honorem & fidelitatem rebellionis opera faciunt, & contra nostri imperii prosperitatem aliquid machinantur: contra nos, seu officiales [6] nostros in iis quæ ad commissum eis officium pertinent, rebellando. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam declarationis & pronunciationis infringere, vel ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem nostram, & pœnam mille librarum nostræ cameræ solvendarum se noverit incursurum. Data Pisis 4. Nonas Aprilis: regni nostri anno quinto, M. CCCXII.

1 *Henricus VII. Luxelebargensis* anno 1309. Imperium obtinet, annis 6. imperavit. Lombardiam sibi subjicit, victor Romam intrat, & ibidem coronatur, tandem veneno in Eucharistia a Monacho ordinis prædicatorum oblato tollitur. *Blond. Platin.* Ei successit *Ludovicus V.* Bavarus. Hoc Imperatore *Clemens V.* pontifex fuit. Interim serva hanc constitutionem ab eo latam Pisis, Anno 1312. regni ejus. 5. *tit.* 20. *T. eod.* Goth. Juxta formam hanc constitutionem Henricus VII. contra Robertum utriusque Siciliæ regem processit, & adversus eum perduellionis sententiam tulit, paulo post quam eas edidisset, eumque capitis supplicio regnorum dignitatum, bonorumque omnium amissione damnavit. Alberic. *in l. quisquis num.* 11. *C. ad leg. Jul. Majest.* Quæ tamen omnia Clemens V. postea annullavit. *Clem. pastoralis de re Jud.* Anf. 2 Pragmatici vocant secretam informationem, *qua de* vid. Clarum 5. *sent.* §. *ult. q.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 20. 21. 3 Vid. *l.* 7. *C. de legibus.*

4 Rebelles sunt qui vel publice vel occulte rebellionis opera faciunt (ita hic loquitur textus) adversus Principis honorem & fidelitatem: Imperii prosperitatem, aut officiales Principis in commisso sibi officio occupatos. 5 Per insidias. 6 Adde *l.* 5. *C. ad l. Jul. majestat.* vid. Clarum 5. *sent.* §. *læsæ majestat. in versic. quæro etiam.*